

E. JOVANOVIČ
Toronto

VERSUS IN MEMORIAM ANTONII SMERDEL

I.

Exegi parvum mihi tumulum,
ut sospes sim echino similis
vernosque apud flores jaceam,
sic mortuus ut vivus humilis;

nec procul erunt chori avium
cum cantilenis puerilibus
et cicadarum ominantium
de fugitivis jam caloribus.

Evanescentibus paulatim tum
cicadis, avibus et sole, mox
autumnus imbris minabitur
et ultima inrepet mihi nox

cum terra alba per silentium
exspectans renovatam gloriam
quiescet atque ego omnibus
contentus in aeternum dormiam.

II.

Sedet et scribit
lingua antiqua
solus in frigida
cellula senex
dum ningit in tegulas
Rigae, Pequini,
Zagrabiae, Brugis. . .
Tremula manu
spargit in nives
micas passeribus
ei similibus,
tum placide scribit
sapiens cujus
nomen nescimus
nec fatum libelli.